






Justa funeralia quæ in ultimum honorem,

Egregio ac solertißimo viro

DN. ALBERTO WINSIO, civi hujus urbis

primario & Mercatori quondam integerrimo, postquam ex lethali vulnere animam efflaverat, cum cæteris lamentabili voce ac stylo peragere voluerunt Fautores & Amici.



STETINI,
Ex typographeo GEORGII GOETSCHII,
Anno 1630.

Carmen Italicum Consolatorium.

Ad Præstantissimum atq; Clarissimum Virum,

Dn. GREGORIUM VVINSIUM, J.V.D. eximium, & fratrem Defuncti germanum.

Ex l. Senatus censuit, 35. §. Mortis causa 4. vers: Aliàs, verb: Siquidem terra, mariq; tam in pace, quam in bello, tam domi, quam militiæ, multis generibus, mortis periculum metui potest. ff. de mort: caus: donationib: desumptum.

IL Paolo che la podestà
Hauto d' far' legge, da
D' intender' che noi huomini,
E Donne, grande, piccoli,
Senza nessuna discrepanza
Non habbiamo assecuranza
D' viver' e sperar' il giorno
Qual' segue; ma' che vad' intorno
A noi la morte, si à terra
Stiamo, all' mar' ò alla guerra,
Nell' casa, ò' all' combattatur'
Siam' paguros' ò secur'.
Che vero questo, ha provato
Signor ALBERTO gran' stimato
Dell' gentil' casa, ben' chiammato
WINSIO. O gran' dolore
Al Padre cè, qual' per amore
Di virtù & degno honore,
Hà speso troppo al figliouel'
Che sono mazzati! O che vuol'
Dir' questa grande crudeltà
Che un' amico ha fatto già,
E frà specie d' amicizza,
Cosi la spada sua duzza
Nel' cuore d' un' innocente.
O sia fatto pur' piccente
E guarciat' il' Assassino
Come è degno! Car' Padrone
Signor' DOCTOR' non piu sermone;
Vo' far' d' questo danno grand'
E mazzamento qual' nefand'
E fatto. Lassate IDDIO
Far'; amoreuol' Signor' mio;
Perche esso ben' pagarà
Il' Mazzatore, Come sà
Che ha fatto. Pero A DEO,
E fate piàn Signore mio.

Ultimi honoris; moris ac favoris, veræq; condolentiæ contestandæ ergò celeri calamo apposuit

Casparus Janthesius, Illustrium [illegible] Provincialis advocatus,

Amplius:

AMplius haut tutò congressûs inter Amicos
Fiunt, ut facti sæpè fuêre priùs.
Nam metuendus erit vel *Proditor*, omnia vafrè
Dicta notans, vel trux *Perditor*, ense nocens.
Percepère Malum prius haut sine tormine mentis
Multi sæpè graves dexteritate viri:
Posterias propriô sentis in corpore, *Winsti*,
TU præter meritum perniciale Malum,
Alter ubi Fratrum truculenti cuspide ferri
Cogeris innocuus fata subire necis.
Non secus ac esset Vobis sic ense statutum
Emorier, gereret quem violenta manus.
Quod tamen à reliquis avertat Fratribus omen,
Mæroremq; Patri mitiget ipse DEUS.

M. B.

---

*N**Ullus honor sylvis, sunt omnia mortua, florum*
Gratia brumali tempore nulla datur.
Sed cùm ver pulso succedit frigore blandum,
Et sol vivificans cuncta calore fovet;
Quælibet umbrosas frondes latè explicat arbor,
Et tellus molli germine læta viret.
Hæc hyemis fragilem notat inclementia vitam
Humanam, miserâ conditione brevem.
Singula namq; velut frigus penetrabile perdit,
Et nihil intactum vi sinit esse suâ:
Sic etiam cunctos habito discrimine nullo
Mortales miserè mors inimica rapit.

 Verùm

Verùm ſicut hyems venienti transfuga veri
Cedit, & amiſſæ reſtituuntur opes:
Sic & ubi æterni veris procedere ſecla
Incipient, hominum corpora vivida erunt;
Eq; ſuis ſaxis, animabus juncta, reſurgent,
Quæ fuerant triſti morte necata prius;
Credentesq; Deum, cœleſti ſede recepti,
Laudando, capient gaudia parta pijs.
Ergò quos præſens hic luctus tangit acerbus,
Immodicè haud doleant, nec ſine lege fleant.
Non etenim perijt natus, frater, genitorq;
Illorum, in cœli culmine lætus agit.

Condolentiæ ergô f.
Thomas VViſmarus,
Stet. Pom.

Parens Defuncti triſtiſſimas
edens querimonias.

NUnc precor, ut mecum ſua ſolvat lumina fletu
Luctiſonosq; canat, carmine quisq; modos.
Nam jacet heu Gnatus violentâ morte peremptus,
Qui decus in ſeniô ſcipio erasq; mihi!
Quòt te, quæſo, meis curis, quot ſumptibus ægris
Inſignem feci te gravitate virum!
Charus eras cunctis, queîs cùm verſatus es unquam
Et patriæ conſors charior urbis eras.

At nunc ſpe citius vitâ decedis ademptus,
Tutus ab inſidijs occidis enſe: nefas!
Ah Alberte, meo primus de ſanguine nate;
Hôc te fata volunt cur perijſſe modò?
Alter es ex natis abſumptus morte nefandâ:
Hincce nimis juſto cauſa doloris adeſt.
O utinam pro te reſolutus morte rigerem,
Tuq; ageres cervi tempora longa levis!
O fili, fili, tecum nunc ire paratus,
Gaudia poſt capiam pectore nulla meô.
Deſeris heu Patrem, fratres quoq; laude coruſcos,
Quorum unà lacrimas fundit uterq; ſuas.
Deſeris & miſeros pupillos atq; puſillos,
Protinus in terris qui tumulandus eris.
Fortaſſis monſtras, quæ mox me fata ſequentur
Atq; utinam jam jam Morta benigna foret!

Defunctus.

PArce, Parens, lacrimis, & ſerius expete cuncta,
Quæ tibi maturo tempore fata dabunt.
Vive diu, fratrum ſimul ac ſit longior ætas:
Veſtræ jam curæ Pignora trado mea:
Hæc utrisq; ſuis orbata parentibus æqui
Suſcipite, atq; Deus præmia larga dabit.
Aſt celeri quoniam mea caſu ſtamina vitæ
A crudeli hominis falce reſecta jacent.
Arbitrium Domini patienter ferre neceſſe eſt,
Qui nutu verſat cuncta, gubernat, agit.
Caſus & hic dare nulla poteſt nocumenta ſaluti;
Nam fuit in vivis ſpes mihi ſola Deus.
Enſe quidem corpus ſit cæſum, Spiritus aſtris
Vivit, & extremô corpore junctus erit.

Da Deus ergò Meis lenimina grata dolorum,
Daq; his perpetua prosperitate frui.

Inter gemitus & lacrimas scrib.

Joachimus Mollerus,
Stet. Pom.

Defunctus ad cognatos superstites.

O Quam, fatalis decreti terminus ævi,
Dulcis, quamq; simul collacrymandus adest!
Dulcis, quandoquidèm Christus meq; ille Redemptor,
Cujus sum lotus sanguine purpureo,
Lucida portabit me in sancti mœnia Cœli,
Gaudia ubi foveam pectore magna meo.
Casus at hic mortis violentus meq; meosq;
Conturbat, cum me prava machæra necat.
Nunc in pupillos miseros, o Jova! redactos,
Post me filiolos, linquere cogor ego.
Mortem equidèm per secla meam differre putarem,
Quo possem Natis utilis esse meis.
Ast quoniam subitò, telo per pectora misso,
Ad mortem usq; meam vulnera facta mihi:
Ad summi fugiam citò Regia tecta Jehovæ,
Voce rogans, mentem servet ut ille meam.
Intereà dilecte parens, fratresq; colendi,
Vos ac pupilli, vos quoq; sanguinei,

Lacry-

Lacrymulas facie detergite pollice vestras,
Mittite & ex animis tristitiæ maculas:
Rex etenim Superus, cui Cœlum servit & æther,
Firmitèr auxilio vos teget usq́; suo.

Ultimis honoribus Fautoris sui benevolentissimi lubens hæcce apponere voluit

Benjamin Habigius,
Blanckens: Saxo.

DIcitur infelix rigido pater ense necati,
Et gnatus, quem mors tam violenta rapit:
Ast non æternùm, qui sic perit ense, peribit,
Nam vitæ lucrum, qui benè vixit, habet.
Nec mirum, sequitur fratrem unâ morte quod alter,
Nil sub sole novum; fitq́; quod ante fuit.
Nil sub sole novum; Mors, Mars, Afflictio, Cædes,
Impius & regnat, persequiturq́; pios.

Theodorus Schambachius,
Stet. Pom.

MOrte sibi nôrunt homines nil certius esse,
Illius ast omnes hora genusq́; fugit.
Pars etenim nimiâ morbi gravitate labascit:
Pars verò variâ sorte, citoq́; cadit.
Ceu nunc ergo viret, recidit nunc flosculus idem:
Sic modò vivit homo, sic modò prorsus obit:

Hoc

Hoc Alberte tuus decessus comprobat eheu!
Utpote qui citior speq; fideq; fuit.
Illo namq; die, vivus quò ritè valebas,
Cuspide percusso mors obeunda tibi est.
O dignum lacrymis fatum, casusq; dolendus!
Attamen in luctu debet inesse modus.
Quippe modò corpus perijt, non Spiritus unà,
Ipse sed in nitidâ considet arce poli.
Ac ibi cum pariter cæsis recreatur homullis,
Conspectu placidi perfruiturq; DEI.

Supremi honoris ergò paucula hæc benevolo atq; condolenti animo adjecit

Petrus Tesmarus
Stet. Pom.

F I N I S.



